

repellere, illi & proprium est peccata odisse; nec in uno domicilio morabuntur pariter tanta munditia, tantaque immundities. Euthymius *in Matth. 1. COLUMBA*, ait, *bono gaudet odore &c. Sic & Spiritus Sanctus suavi virtutum odore summo opere delectatur.* Simpliciter amat COLUMBA: Non minus Spiritus Sanctus, Spiritus malignus dupliciter amat & fallaciam, *2. Cor. 11. 3.* Felle carere dicitur COLUMBA, & ipse facer Spiritus omni caret felle, copioso, uti loquuntur Patres, redundat devotionis melle. Mite, mansuetum, nostraque gaudens familiaritate est animatum COLUMBA: Spiritus Sanctus ceu summæ mansuetudinis Spiritus, suavi nos allicit tractu, suaviter nobiscum agit, corda nostra sanctificans, stabileque (o summam ac immensam misericordiam!) in iis sibi figit habitaculum. Origenes, *Descendit*, dicit, *Sanctus Spiritus super Salvatorem in specie columbae, avis mansueta, innocentis & simplicis &c.* Fœcundum est Columbarum genus; Spiritus Sanctus operosus & fœcundus est in cordibus piorum, quae fructibus justitiæ replet. *Phil. 1. 11.* Eximia est columbarum in pullos pietas, non suos tantum, sed & alienos; Sanctus Spiritus omnes colligere vult sub ala gratiæ, omnes fovere. Cave cum pharisæis resistas! *Act. 7. 51.* In eodem COLUMBA loco nidificat, e quo pulli sublatis, prioris mansuetissime oblita injuriæ: Spiritus Sanctus non statim cedit, ubi refractari homines ductum ejus innocentissimum aspernantur: semper instat, sedulo urget, tacito excitat conscientiam verberare, monet per verbi ministerium, manus ad populum contradicentem expandit, *Es. 65. 2.* suspicionem oblivionis Domini tollit *Es. 49. 15.* Alites in expiationem destinatae par erant turturum sive pullo- rum columbinorum, quod totum igni cremabatur *eis óσ- μιν εὐωδίας* Domino, *Levit. 1. 17.* contra fas tamen intra sanctum Templi locum id sacrificium emere deinceps soliti sunt

sunt